



Jus Canonicum In V. Libros Decretalium Distributum

novâ Methodo explicatum, Omnibus Capitulis Titulorum (qui in Antiquis, & novis Libris Decretalium continentur) promiscuè & confusè positis, in ordinem doctrinæ digestis. Adjunctis Aliis Quæstionibus Connexis, Quæ Ad Plenam Cujusque Tituli, Aut Materiæ Cognitionem, Et Expositionem Pertinent. ...

Respondens Libro secundo Decretalium : In Quo Ordo Judiciarius, Et Qvæ Ad Judicia Pertinent, Secundùm Utrumque Jus, Canonicum, & Civile Methodicè Tractantur, & Exponuntur ; Additus Est, Præter Synopticum Et Methodicum, Alius Index Alphabeticus A Pluribus Desideratus

Pirhing, Ehrenreich

Dilingæ, 1675

Titulus. IX. De Ferijs.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-98191](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-98191)

vis non possit novam concedere, nisi causâ cognitâ, probabilius esse, censet *Hiltrop. cit. tit. 35. num. 82. & 83. post Felin.* quia finitâ dilatione, adversario est jus acquisitum, quod ei invito auferri non potest: ideoque causâ cognitione opus est.

Potest prima dilatio probatoria non potest prorogari; quia superest secunda. & tertia, imò & quarta; quando de justo impedimento constat; ut supra dictum; & quia dilaciones sunt amputandæ, l. 2. in princ. C. de temp. appell. Neque ad extraordinarium prorogationis remedium est deveniendum, quando superest ordinatum, *Gail. c. l. num. 2.* Imò, si in prima dilatione multi testes fuerunt producti, & examinati, non est danda secunda, & tertia dilatio, *Gl. in c. In causis 15. infr. de testib.* quia testium multitudo refrananda est, c. *Significaverunt;* 36. eod. Quarta verò dilatio probatoria ex legitima causâ prorogari potest cum eadem solemnitate, quâ data fuit; licet non faciliè prorogari debeat, ne fraus fiat legi, & ne in effectu quinta concedatur dilatio, quæ de jure concedi non

potest, *Gail. c. l. num. 16. & 17.* præterquam in casu, quo nulli adhuc testes producti sunt; tum enim, probato impedimento legitimo, etiam quinta, imò & ulterior dilatio concedenda est, *Tancredus lib. 3. tit. 18. §. 2.*

XXIII. Assertio 4. Effectus dilationis præcipuus est, quòd eâ pendente, officium Judicis conquietat, nihilque sit agendum, vel innovandum super articulo, seu capitulo, super quo data est dilatio, l. *Sive pars;* 3. C. h. t. quamvis super alio Judex procedere non prohibeatur, *Hiltrop. c. l. n. 85. & 88.* finitâ autem causâ, seu impedimento, ob quod concessa est, statim finitur dilatio: quia cessante causâ, cessat effectus: Ut si alicui data sit dilatio decem dierum, & citatus comparuerit primâ die, preempta est illa dilatio, neque officium Judicis conquietat; sed is interim procedere potest in causa, sicut etiam, si Judex dilationem revocaverit, *Hiltrop. c. l. n. 87.* qui plures effectus dilationum recenset, de quibus jam dictum.

T I T U L U S I X. DE FERIIS.

Post dilaciones agitur de feriis, quia & ipsæ feriæ sunt dilaciones quædam Judiciorum: ideoque etiam in Digestis de utrisque in uno Titulo; in Codice verò post Titulum de Dilacionibus immediatè subiicitur Titulus de feriis. licet à dilacionibus in eo distinguantur feriæ: tum quia dilaciones dantur, ob utilitatem partium litigantium, & quidem plerumque ad instantiam illarum, ut se instruere, ac parare possint ad futuram litem: feriæ verò potissimum ob publicum bonum, vel DEI honorem sunt institutæ: tum quia dilaciones plerumque dantur, secundum exigentiam causæ, Judicis arbitrio: feriæ autem definitæ sunt, & stabiles.

§. I.

De variis feriarum generibus, & earum computatione.



ASERTIO I. Feriæ hîc generatim dicuntur dies, seu tempora; quibus jus non dicitur, id est, à negotiis forensibus, seu actibus judicialibus cessatur, sive vacatur; ut colligitur ex l. *Prædie;* 5. & l. *seq. ff. h. n. & l. Omnes;* 7. C. eod. & ideo olim dictæ sunt Iustitium, quod Jus, sive Judicium tunc stare, nec progredieretur, *VVesenbec. in paratit. ff. h. t. n. 2.*

Sunt autem feriæ aliæ solemnes, seu ordinariæ, quæ legibus, & SS. Canonibus definitæ sunt, & quotannis recurrere solent, & peræquè semper servantur; ideoque etiam ordinariæ appellantur, *Fulh. l. 2.*

jurisp. Rom. c. 30. n. 5. Hæ autem subdividuntur in ferias sacras, & profanas. Sacræ dicuntur, quæ ad DEI cultum, & honorem, Sanctorumque venerationem institutæ sunt, de quibus in c. *ult. h. t. & l. Omnes;* 7. C. eod. Profanæ rursum sunt, vel politica, seu honoraria, quæ in honorem Principis indicuntur, v. g. ob naxalem illius, *cit. l. Omnes;* C. h. t. aliqua sunt necessariæ, sive rusticæ, quæ ob rem rusticam, & utilitatem ruri laborantium conceduntur, tempore messis, & vindemiæ, de quibus in c. *ult. h. t. & l. 1. ff. l. 2. & l. Omnes;* 7. C. eod. Et hæ feriæ determinari debent, secundum consuetudinem, cujusque loci, seu regionis; cum in locis calidis citius colligantur fructus, quàm in frigidis, l. *Præsides;* 4. ff. eod. *Abb. in c. ult. n. 8. h. t.* Huc pertinent feriæ nundinarum, quæ ob publicum mercatum exercendum instituantur, ut sunt nundinæ Francofurtenses, Lipsienses &c. de quibus agitur in *Tit. D. & C. de nundinis.* Extraordinariæ verò, seu repentinae feriæ dicuntur, quæ non certâ, & stabili lege

lege, sed pro re nata, seu pro rebus occurrentibus, & extra confectionem ordinem, & morem, ob rem publicam bene, ac prospere gestam, indicuntur, v. g. ob Principis adventum, vel inaugurationem, seu nuptias, regie prolis natalem, victoriam obtentam; item ob hostilitatem, seu belli causam, ob seditionem, vel grassantem publicam luem &c. *V. V. senb. c. l. n. 3.* Et hæc ferie repentina: à solo Principe indici possunt, *l. 1. A. nullo; 4. junct. Gl. V. Ferias; C. h. 1.*

II. Porro, præter ferias hæcenus allatas, tenet etiam ferie nuptiarum, quibus à nuptiis publicis, & solemniter celebrandis abstinere debet; de quibus agit in *c. Capellanus; 4. h. t.* nam quia spectato Jure veteri (in *c. Non oportet; 10. caus. 33. q. 5.*) prohiberetur fuit; ab Adventu Domini, id est, à prima Dominica Adventus, secundum *Hosiens. hic in princ.* usque ad Epiphaniam, & à Septuagesima usque ad Octavam Paschatis inclusivè, & tribus septimanis ante festum Nativitatis S. Joannis Baptistæ, nuptias celebrare: idèoque quasitum fuit, an, quod dicitur de tribus hebdomadis, intelligendum sit de illis, quæ immediatè antecedunt festum S. Joannis, absque intervallo: an verò de tribus hebdomadis, quæ incipiunt à tribus diebus rogationum, ante Ascensionem Domini, & durant usque ad octavam diem post Pentecosten; adeoque mediatè solum, & cum intervallo festum S. Joannis antecedunt, etsi ipsi festo non continentur: quia id ob reverentiam festi Pentecostes fuit statutum, quod in istis septimanis ut plurimum solet occurrere, *Gl. in cit. c. Non oportet; V. Tribus hebdomadibus.* Itaque super hæc re consultus

Papa Clemens III. respondit: Licet Romana Ecclesiæ consuetudo sit: ut quovis tempore matrimonium, interveniente legitimo consensu (mutuo utriusque conjugis) de præfenti contrahatur: secundum quam Canones à Septuagesima, usque ad septem dies Pentecostes, quod caret Octavis (subintellige, deducto tempore illo intermedio, quod est ab Octava Paschæ usque ad triduum Rogationum exclusivè, quo nuptiæ celebrari licitè poterunt, juxta *cit. c. Non oportet; Abb. hic n. 6.*) nuptiæ celebrari non permittuntur, sed postea indifferenter: scilicet post 7. dies festi Pentecostes, quod caret Octavis, & post Dominicam sequentem (in quam incidit festum SS. Trinitatis) ac deinceps licitè possunt nuptiæ celebrari; sive sint tres septimanæ, sive plures, ante festum Pentecostes. Et hæc posteriorem sententiam, quæ meliore, & subtiliore nititur ratione, approbat Papa.

Ex quo sequitur, quòd etiam olim, si festum Pentecostes v. g. occurrit Calendis Junii, post Dominicam Trinitatis pluribus diebus, ante festum S. Joannis Baptistæ, licitè poterant celebrari nuptiæ; ut docet *Hosiens. hic V. Sine differentia; Abb. n. 6.* quia res illæ septimanæ computabatur à prima die Rogationum usque post Dominicam sequentem festum Pentecostes, in quibus olim non erat licitum celebrare nuptias. Verùm *Sylvest. V. Matrimonium; 7. q. 2. Dico; 3.* ait, non esse idem de Octava Paschæ, in qua nuptiæ celebrari non possunt, & de festo Pentecostes, quod Octavam non habet; quamvis in die octava occurrat festum solemnè Trinitatis, in quo non necessariò, etiam olim, fieri solebat S. Communionio: idèoque in illo concessum erat nuptias ce-

Tomus II.

lebrare, quæ in die solemnè fieri consueverunt. Non item à Septuagesima usque ad Octavam Paschæ, inclusivè, propter preparationem ad communionem Paschalem. Quòd verò attinet ad tres hebdomadas, de quibus fit mentio in *cit. c. Capellanus; h. t.* scilicet à triduo rogationum usque post septem dies festi Pentecostes (in quo numero dies primus est unus ex septem) etiam si non includant Dominicam sequentem SS. Trinitatis, adhuc sunt tres hebdomadæ, saltem per synedochem, *Sylvest. c. l.*

III. Ex hoc c. colligitur primò, quòd, quòd à triduo difficultas, seu questio occurrit circa intelligendos Canones, & diversæ sunt de illa opiniones Doctorum, pro declaratione ad Sedem Apostolicam recurrendum esse; consentit *Text. in c. Venerabilem; 13. §. Rationibus. qui filii sint legit. Fagnan. in cit. c. pen. n. 1. h. t.*

Colligitur secundò, quòd, quòd plures sunt sententiæ disceptantes, non illa censenda sit probabilior, pro qua plures stant DD. sed quæ molioribus rationibus fulcita est, *l. 1. §. Sed neque; C. de vet. jur. enucl. Abb. hic n. 3.*

Colligitur tertio, matrimonium legitimo consensu viri, & mulieris de præfenti contrahi posse, non solum validè, sed etiam licitè diebus ab Ecclesia interdictis, modò sine celebri solemnitate in eatur: quia ea solum prohibetur certis temporibus, aliàs verò quovis tempore contrahi potest; ut habetur in hoc c. quia solus consensus facit matrimonium, *c. pen. De sponsal. Gl. hic V. Legitimo consensu.*

IV. Ceterum hæc procedunt, spectato Jure antiquo: nunc verò observari debet, quòd circa hoc in Concilio Tridentino decretum est *sess. 24. c. 10. De reformatione matrim.* nempe, ut ab adventu Domini usque ad diem Epiphaniæ, & à Feria IV. Cinerum usque in Octavam Paschatis inclusivè antiquæ solemnium nuptiarum prohibitiones diligenter ab omnibus observentur, in aliis verò temporibus nuptiæ solemniter celebrari permittuntur. Ex quo patet, quòd Octava Epiphaniæ excludatur ab hac prohibitione: quia Concilium dicit usque in diem Epiphaniæ; hæc verò & Octava Paschatis comprehendatur; quia additur particula, *inclusivè*, quæ ad utrumque tempus est referenda, cum nulla sit ratio diversitatis, *arg. l. 1. ff. de liber. præter. §. l. fm. ff. De reb. dubiis.*

Quares, quæ solemnitates nuptiarum in specie prohibeantur ab Ecclesia prædictis temporibus?

Resp. in primis benedictio nuptialis, *c. 1. caus. 30. q. 5. Conc. Trid. cit. sess. 24. c. 1. ibi: Benedictionem in templo suscipiendam; Sylvest. V. Matrimonium; 7. Dico; 5.* ubi etiam ait, quòd his temporibus matrimonium possit contrahi in facie Ecclesiæ, id est, coram testibus, sine benedictione, absque peccato; quia benedictio non datur in ipso contractu, sed in traditione sponsæ, vel post illam. Secundò, prohibentur convivia nuptialia *c. Ne uxorem; 11. ibi; nec convivia facere, caus. 33. q. 4.* Tertio, traductio sponsæ in domum viri, *cit. c. uxorem; ibi: Nec uxorem ducere*, id est, ad domum. *Abb. hic n. 4. Sylvest. c. l.* Quòd tamen alii limitant ad solam traditionem, quæ fit publicè, & cum solemnitate; non autem esse prohibitam traditionem privatam, & non solemnem; *Sanch. l. 7. de matr. dis. 7. n. 14.* & alii apud ipsum. Quarto, copula carnalis, seu consummatio

X

tio

tio matrimonii; ut docent communiter Canonista, & respondit S. Congreg. Concil. apud Eagnanum hic. n. 21. et si contrarium teneat Navarr. in man. c. 22. n. 71. Sanch. c. l. n. 23. & alii. Illud certum est, quod saltem post primam consummationem his temporibus, sine peccato possit exigi debitum, *Silvest. c. l.*

V. Assertio 2. Feriæ sacræ, non tantum dies Dominicus, sed etiam alia festa incipiunt, & terminantur à vespera præcedentis diei, usque ad vesperam diei sequentis; ut de diebus Dominicis habetur » in c. 1. h. t. in princ. ubi decernitur, omnes dies Dominicos à vespera ad vesperam omni veneratione » observari, & ab omni illicito opere abstinendum.

VI. Ubi notandum primò. Dies Dominicus, aliâque festa observari debent à vespera ad vesperam, non tantum quoad celebrationem Divinorum officiorum, ut vult *Gl. hic V. Omnes dies Dominicos*; sed etiam quoad vocationem ab operibus servilibus, aliisque prohibitis; ut tradit *Suar. l. 2. De diebus festis c. 31. n. 6. & patet ex cit. c. 1.* ubi dicitur, ab omni illicito, id est, prohibito opere abstinendum esse. Quod autem hic dicitur, à vespera in vesperam abstinendum esse ab omni opere prohibito, id ita observandum est, ubi consuetudo viget, festa inchoandi à vespera usque ad vesperam, non ex libera devotione, sed tanquam ex obligatione, *Laym. l. 4. Theolog. mor. tract. 7. c. 2. n. 1.* ex generali tamen consuetudine in Europa passim receptâ, & usu Ecclesiæ, cujuslibet festi observatio, quoad vacationem ab operibus prohibitis, est à media nocte usque ad alterius noctis medium, qui est integer dies naturalis 24, horarum, quamvis quoad publicam Divinorum officiorum celebrationem, computatio diei festi fiat à vespera diei præcedentis ad vesperam diei sequentis, *Abb. in cit. c. 1. n. 1. h. t. Covarr. pract. qq. c. 19. n. 4. Aror. p. 2. l. 1. c. 26. q. 12. Suar. c. l. n. 4. & 5.* ubi rationem dat; tum quia hic modus computandi naturales dies more Romano observatus fuit, *l. More*; 8. ff. h. t. tum quia hic mos est magis rationalis, ut totus dies Dominicus, vel festus religiosè observetur. Aliud tamen etiam consuetudine introduci potest, ut mox dicitur: imò potest etiam dies festus institui, in quo vacet populus ab operibus servilibus, usque ad meridiem tantum, *Aror. cit. c. 26. q. 8.*

VII. Notandum secundò. In festis inchoandis, & finiendis, partim ad qualitatem, seu solemnitatem festi attendi debet, partim ad consuetudinem locorum; prout habetur in c. *Quoniam*; 2. h. t. » ubi Papa Alexander III. rescribit: Licet scriptum » sit (*Levit. c. 23.*) de vespera in vesperam celebrabitur Sabbatha vestra, festorum tamen principium » & finis, juxta eorum qualitatem, & diversarum regionum consuetudinem, attendi debet, ita, ut » majora festa prius incipi, & tardiùs finiti debeant. Neque verò dies Dominicus, vel alia festa Christianorum etiam primæ classis, ex Jure, seu præcepto Divino celebrari debent, & observari à vespera præcedentis diei usque ad vesperam sequentis, sed solum Ecclesiastico: & ideo per contrariam consuetudinem receptam initium, & finis dierum festorum variari, & mutari possunt: nam præceptum ex Levitico allatum erat tantum ceremoniale, quod per mortem Christi sublatum est, & si quando observatum fuit inter Christianos, non ex obligatione Legis Veteris, sed ex

decreto Ecclesiæ observandum fuit, *Barb. in collect. in c. 2. n. 3. h. t.*

VIII. Præterea in eodem c. 2. §. *Diebus*; dicitur, quod diebus Dominicis, & in præcipuis festivitatibus (scilicet Paschatis, & Pentecostes) atque inter Pascha, & Pentecosten genium flexio fieri non debet in publicis orationibus: in secreto verò, seu loco privato, & ex devotione, etiam his diebus, genium flexio fieri potest. Item in consecrationibus Episcoporum, & ordinationibus Clericorum, etiam dictis temporibus, consecrans & consecratus tantum, sive ordinans & ordinatus genua flectere possunt, ac debent, secundum quod modus, seu ritus ordinationis exigat. Denique festivitas SS. Trinitatis in quibusdam regionibus celebrari consuevit in Octavis Pentecostes, id est, die Octavâ post Pentecosten (quod propriè caret Octavâ, *Hostiens. hic V. Octavis*;) in quibusdam autem in Dominica prima, ante adventum Domini. Sed Ecclesia Romana non consuevit specialem diem festum SS. Trinitatis celebrare, cum singulis diebus hoc Mysterium venerari soleat, dicendo: Gloria Patri &c. & alia similia ad honorem SS. Trinitatis pertinentia. Ex quo colligunt *Abb. hic n. 6. & alii DD.* non esse necessariò observandam quamcunque consuetudinem Ecclesiæ Romanæ, nisi illam præcipiat observari, & quoad articulos fidei. Postea Joannes XII. peculiare festum SS. Trinitatis in universali Ecclesia celebrari mandavit, *Silvest. V. Dominica; q. 1. Diçto; 7. Suar. tom. 1. de relig. lib. 2. de diebus fest. c. 4. n. ult.* imò etiam omnibus diebus Dominicis hoc Mysterium specialiter colit Ecclesiæ; ut patet ex officio Ecclesiastico, de quo *Suar. c. l. n. 16.*

§. II.

De potestate indicendi ferias sacras, & de operibus servilibus, que in illis fieri prohibentur.

IX. Assertio I. Solus Papa in Ecclesia universali, & quilibet Episcopus, in sua Diocesi, potest ferias sacras, seu dies festos ad cultum, & honorem Dei, & Sanctorum indicere; ut constat ex c. 1. *dis. 3. de consecrat.* ubi in specie enumerantur, præter omnes dies Dominicos, aliæ solemnes ferie, quæ ex præcepto observandæ sunt in tota Ecclesia, quarum tamen aliquæ de consuetudine non observantur; ut tota hebdomada Paschæ, & tres dies rogationum. Quibus Urbanus VIII. in Constitutione edita idibus Septembris Anno 1642. addidit festum Corporis Christi celebrandum feriâ V. post Octavam Pentecostes, juxta *Clemen. unic. de relig. & vener. SS. Inventionis S. Crucis*, juxta c. *Crucis 19. cit. dis. 3. S. Iosephi, S. Annæ, & S. Sylvestri*: atque unius ex principalioribus Patronis in quocunque regno, sive provinciâ, & alterius pariter principalioris, in quacunque civitate, oppido, vel pago, ubi hos patronos haberi, & venerari contigerit. Ad reliquorum verò dierum observantiam, quos hucusque sive in Universa Ecclesia, sive in quovis Regno, Provinciâ aut Diocesi, vel loco, sive ex præcepto, sive ex consuetudine, sive ex devotione,

devotione, Christi fideles tanquam festivos celebrant, nequaquam ex præcepto ipsos teneri, decernitur, & declaratur.

X. Præter Papam, etiam singuli Episcopi in suis Diocæsihus possunt dies festos indicare, saltem populo consentiente, vel præsentè; ut satis aperte colligitur ex *cit. c. 1. dist. 3. ibi. Et illa festivitates, quas Episcopi in suis Episcopatibus, cum populo, collaudaverint. ex c. ult. h. t. ibi: Quas singuli Episcopi in suis Diocæsihus, cum Clero, & populo, duxerint solemniter venerandos. Abb. ibid. n. 4.* quia licet Episcopus in iis, quæ spectant ad jurisdictionem Episcopalem, possit statuta facere, cum consensu, vel consilio Capituli, *c. 2. de constit. in 6. in iis tamen, in quibus agitur de interesse aliorum, non potest Episcopus statuta facere, sine consensu illorum, vel saltem debent esse præsentès; ut etiam docet Archidiaconus. in cit. c. 1. n. 4. dist. 3. Azor p. 2. lib. 1. c. 26. q. 2.* interest autem hoc calu populi: quia institutos festos dies ex præcepto servare, & ab omni opere servili vacare debent. Quamvis populus non possit contradicere, nisi legitimam causam habeat contradicendi statuto Episcopi, *Abb. c. l. Contrarium tamen tenet Ant. de Bario apud Fagn. in cit. c. ult. n. 32. h. t.* nempe solum Episcopum, cum Capitulo, seu Clero suo, posse dies festos instituire: quia in iis, quæ concernunt favorem animæ, quilibet subjectus est Episcopo suo, *arg. c. Novit. 13. de judic. Verùm prior opinio de Jure communi verior est; consuetudine tamen receptum est, ut nunc dies festi solâ Episcopi auctoritate cum consilio Clericorum, indicantur, sine populo præsentè, vel ad id vocato; ut refert Azor c. l. Porro Episcopus non potest indicare diem festum generaliter, sed pro sua tantum Diocæsi, *cit. c. 1. dist. 3.* Neque alicujus Sancti ab Ecclesia non canonizati, cum Episcopus neminem canonizare possit, etiam pro sua Diocæsi tantum, sed solus Papa, *c. 1. de reliq. & venerat. SS. Gl. fin. in cit. c. & Abb. in cit. c. ult. n. 4. h. t.**

XI. Tertio, Princeps secularis non potest statutum facere, vi cuius teneantur subditi ipsius observare diem alicujus Sancti etiam Canonizati, perinde ac si esset præceptus; quia Reges, & Principes, seu Respubl. seculares, non habent potestatem indicendi aliquem diem festum, in cultum, & honorem Dei, vel Sanctorum, nisi ex auctoritate Papæ, vel Episcopi Diocæsani; ut de Episcopis constat etiam ex *Concil. Trident. sess. 25. de regul. c. 12. Abb. in c. 2. n. 2. h. t. Silv. V. Dominica n. 2. Azor cit. c. 26. q. 5. Suar. cit. l. 2. c. 12. n. 2.* Ratio est, quia potestas indicendi, ac præcipiendi dies festos, & cultui Divino dicatos, est propriè spiritualis, & ad religionem, ac pietatem pertinet; adeoque spectat ad Pastores Ecclesiæ, cum principaliter ordinetur ad cultum Divinum, & animarum spirituales utilitates: & consequenter laicis non competit talis potestas, cum ipsi de spiritualibus statuendi nulla sit talis attributa *cap. ult. de reb. Eccl. non alien. Tum quia, sicut consecratio loci, pro cultu Divino, ad præsidem Ecclesiæ pertinet, non ad seculares Potestates: ita etiam consecratio temporis, per quam dies festi efficiuntur sacri, & Divinis obsequiis dedicantur: tum denique quia Princeps secularis non potest dies festos in honorem Dei, vel Sanctorum institutos tollere, nec subditos suos ab obligatione illorum observandi absolvere: ergo ne-*

Tomus II.

que novos dies festos instituere, & subditos ad illos observandos obligare; cum jus ligandi, & solvendi pari passu ambulent, *Suar. c. l. n. 2.* Confirmatur, quia solus populus, sine auctoritate Papæ, vel Episcopi, non potest indicare dies festos, sed Episcopus cum Clero, & populo, *cit. c. ult. h. t.* ergo nec Princeps secularis id potest, sine Episcopo, & Clero: quia Princeps ab initio accepit omnem potestatem statuendi à populo, *l. 1. §. Sed & hoc; C. de vet. jur. enucl. qui non potuit hanc potestatem indicendi dies festos transferre in Principem; cum ipse illam non habuerit, Fagn. in c. ult. n. 33. h. t.*

XII. Hinc inferitur primò, quòd, licet Princeps secularis possit præcipere subditis, ut feriantur, seu vacent à laboribus, & operibus civilibus, vel ab actibus forensibus, ad finem civilem, & regimen politicum, v. g. in ordine ad requiem, vel salutem corporum, vel ad collectionem fructuum, & similia; non tamen in ordine ad cultum religiosum Dei, vel Sanctorum ejus, potest id præcipere: quia talis finis tendens principaliter ad cultum, & reverentiam Dei est materia religionis, circa quam laica potestas quidpiam statuendi potestatem non habet, sine auctoritate, & consensu Episcopi; ut patet ex *c. ult. h. t.* alioqui Principes seculares possent nova jejunia instituere, ad venerationem Dei, & Sanctorum, processiones indicere; quæ tamen ad solam Ecclesiasticam potestatem pertinent, *c. Rogationes; 3. cit. dist. 3. c. Jejunia; 17. dist. 5. de consecr. Suar. cit. c. 12. n. 3. Fagn. in cit. c. ult. n. 75.*

Inferitur secundò, quòd nec votum publicum factum à toto populo celebrandi in foro, festum v. g. S. Sebastiani ad avertendam pestem, obliget ex vi legis, seu statuti, sed tantum vi promissionis: adeoque tantum obligat voventes, vel qui ipsis consentiunt: quia obligatio voti est personalis, & ad alios, qui non voventur, non transit. Unde ad tale votum publicè editum ex obligatione servandum, non tenentur ii, qui non voventur, nec voventibus consenserunt, nisi Prælati Ecclesiastici auctoritas accedat, per quam acquirit tale votum vim, & obligationem præcepti, *Suar. c. l. n. 4.*

Inferitur tertio. Quòd nec per solam consuetudinem laicorum potest introduci obligatio observandi diem aliquem tanquam festum, sine expresso, vel tacito consensu, seu approbatione Episcopi: quia sicut sine hujus consensu, non potest talis lex expressè ferri, ita nec per consuetudinem induci; quia hæc non habet vim inducendi obligationem legis, nisi includat consensum ejus, qui potest expressè talem legem ferre, *Suar. c. l. n. 5. & constat ex alibi dictis.*

XIII. Inferitur quartò. Non potest Princeps, vel Magistratus secularis per statutum præcipere, ut festum aliquod in honorem Dei, vel Sanctorum sub certa pœna observetur, tametsi violatores non obligentur ad culpam; ut contra *Silvest. V. Dominica; n. 2.* docet *Suar. c. l. n. 7.* Ratio est, quia tale statutum est nullum ex defectu potestatis, cum enim Princeps secularis non possit statutum facere in materia spirituali, & pertinet ad religionem; adeoque nec obligare subditos ad culpam, sequitur, quòd nec ad pœnam obligare possit, quæ supponit culpam; ut in proposito, si lex civilis præcipiat observari diem tanquam festum, qui non est præceptus ab Ecclesia, talis

lex non obligat subditos ad culpam, & consequenter nec vi illius pœna exigi potest à transgressoribus, cum tale præceptum pœnale, non ad laicam, sed Ecclesiasticam potestatem pertineat; ut supra dictum. Confirmatur: quia alioquin possent laici Magistratus ferre leges iniquas, & adversantes libertati Ecclesiasticæ, adjectâ eis pœnâ, qui tales leges executi non fuerint, & sic indirectè metu pœnæ tales leges in usum, & observantiam deducerentur; ut ex *Felin. notat Fagnan. in cit. c. ult. n. 74.* Aliud est, si per statutum secularis Magistratus infligatur pœna non servandis dies festos institutos ab Ecclesia: tunc enim puram imponit pœnam, sine obligatione ad culpam, & punitur justè transgressor propter violationem legis superioris, videlicet Ecclesiasticæ: nam ad officium Principum Christianorum pertinet, Ecclesiam, ejusque præcepta tueri, ut inviolabiliter observentur, *Suar. c. l. & Fagnan. c. l. n. 73. & 75.* Aliud item est, si à Principe seculari pœna infligatur violanti festum præceptum, ob finem politicum, seu civilem, v. g. ob honorem Principis: tunc enim, qui non observant, justè puniuntur, cum committant culpam, non quidem contra religionem; sed contra obedientiam, & observantiam debitam Principi, nisi talis lex foret purè pœnalis, *Suar. c. l.*

XIV. Afferio 2. In factis feriis, sive diebus festis ad cultum DEI, vel Sanctorum institutis, prohibentur exerceri, non solum actus forenses, seu judiciales, de quibus postea; sed etiam omnia opera servilia, nisi propter necessitatem alimentorum circa res tempore periturae permittantur; prout sumitur ex *c. Licet; 3. h. r.* ubi Papa Alexander III. ad Archiepiscopum Triburiensem ita rescribit: *Licet tam in Veteri, quam novo Testamento, septimus dies ad humanam quietem fuerit deputatus, & tam eum, quam alios dies Deo dicatos, nec non Nativitas SS. Martyrum Ecclesia decreverit observanda: permittimus tamen, ut Diceccanis vestris, diebus Dominicis, & aliis festis (præterquam solemnioribus) si alecia (quod genus piscium est raro, & non nisi certis diebus comparens, *Gl. hic V. Alecia*) terræ se applicaverint, ob ingruentem necessitatem, ea capere liceat: ita tamen, ut adjacentibus Ecclesiis, & pauperibus Christianis de captura congrua aliqua portio tribuatur.*

XV. Pro declaratione hujus c. Notandum primò. Quod de die septimo etiam in novo Testamento observando hic dicitur, id non debet intelligi ad litteram, quasi ex Divina institutione adhuc sit observandus dies septimus Sabbati: sed quia observantia diei Dominicæ in nova lege succedit observantia Sabbati, non ex vi præcepti legis Divinæ, (ut aliqui putant) sed ex constitutione Ecclesiæ, & consuetudine populi Christiani; ut ait, *S. Thom. 2. 2. q. 122. art. 4. in resp. ad 4.* quia etsi præceptum de sanctificatione Sabbati, in quantum erat morale, ut scilicet aliquod tempus daretur ad colendum Creatorem, mutari non potuit; in quantum tamen erat ceremoniale, seu figurale, sive quoad diem determinatam, mutari potuit, *Sil. V. Dominica; n. 1.* & re ipsa mutatum fuit, sed ex antiquissimâ lege lata ab ipsis

Apostolis, vel ex traditione Apostolicâ, *Suar. cit. l. 2. c. 4. n. 8.*

Notandum secundò. Quamvis in feriis profanis, & rusticis solum prohibeantur exerceri actus judiciales, seu forenses: in factis tamen feriis ad cultum DEI, & SS. institutis, etiam opera servilia prohibentur; quæ scilicet corporis commoditatibus serviunt; ideòque mechanica sunt, sive eorum, qui famulatum, seu ministerium corporale alii exhibent, & inserviunt; ut est arare, fabricare, & artificata conficere, & similia. Et hujusmodi opera diebus festis exercere potius sunt prohibita, quam opera non servilia, sed libera, seu liberalia, quibus scilicet animus excolitur, & quæ ad cognitionem, & convictum humanum ordinantur; ut sunt docere, studere, scribere, & similia; tum quia opera servilia sunt inferioris ordinis; tum quia magis communia sunt, & potissimum occupare solent homines, eosque distrahere à cultu, & servitio Divino: quamvis etiam aliqua opera, licet servilia non sint, specialiter prohibeantur exerceri diebus festis (de quibus *S. seq.*) ob secularem distractionem, quam secum adferunt: adeòque, quia vacationem, & quietem in die festo requisitam, & ab Ecclesia intentam impedire possunt, & solent, quò minus anima DEO, & obsequiis Divinis vacare possit, *Suar. cit. l. 2. c. 29. n. 1.*

XVI. Notandum terriò. Piscatio (sicut, & venatio, & aucupium) secundum se, & ex genere suo est opus servile; adeòque prohibita die festo, saltem, si cum multis operis, ac magno labore fiat; ut colligitur ex *c. Licet; h. r.* quamvis ex consuetudine, scientibus, & tolerantibus Pastoribus Ecclesiæ, inductâ, in fluminibus facta piscatio sit licita, maximè quando est moderata, saltem recreationis causâ, *Arz. cit. l. 2. c. 27. q. 7. Suar. cit. l. 2. c. 28. n. 5. & 6.*

Porriò, etsi in casu hujus c. necessitas piscandi certum genus piscium, quod non, nisi opportunis diebus capiebatur, fuerit notoria, adeòque per se sufficiens causa excusationis à præcepto feriandi à laboribus diebus festis; fuit tamen petita à Papa dispensatio: quia, quando causa, seu impedimentum excusationis, non pro una tantum, vel altera vice, sed ordinariè, ac frequenter occurrat, diùque durat; tum tutius est; decens, ac condictum, ut à superiore dispensatio petatur; ut docet *Laym. l. 4. Theol. mor. tract. 5. c. 4. n. 2. in fine.* Excipiuntur tamen in *c. Licet, h. r.* festivitates anni majores, seu solemniores, in quibus etiam ob talem necessitatem piscari non licet: cujusmodi sunt, Nativitas Domini, & Epiphania, Festum Paschatis, Ascensionis Domini, & festum Pentecostes, secundum *Gl. hic V. Majoribus;* quibus alii addunt festum Assumptionis B. Virginis. *Abb. hic nor. 4. & alii apud ipsum.*

Notandum quartò. Potest Prælati dispensans in Legibus Canonicis, v. g. observationis festorum, vel jejunii, per modum commutationis, vel compensationis, elemosynam aliquam imponere applican-

applicandam pauperibus, vel Ecclesijs; ut colligitur ex *cit. c. Licet in fin. & constat ex praxi Curia Romanaz. Suar. l. 6. de legib. c. 16. num. 1. ubi num. 4.* Id extendit etiam ad Prælatos Papæ inferiores; ut Episcopos, si dispensent in lege Superioris. Putant tamen nonnulli, ut *Sanch. l. 3. de matr. dif. 10. num. 11.* tale onus v. g. elemosynam non injungi, sub obligatione præcepti, sed tantum ex consilio. Cui tamen obstat, quod in *cit. c. Licet.* dispensatio concessa sit sub ea conditione, vel potius modo dandi elemosynam: adeoque necessitatem inducit, si quis dispensatione utatur. *Abb. ibid. num. 4. & Suar. c. l. num. 1.*

§. III.

Quinam actus non serviles, seu liberales exerceri prohibeantur diebus feriatis?

XVII. De his agit in primis in *c. Omnes; 1. h. t.* Ubi prohibetur, ut in Dominicis diebus (aliquisque festis) mercatus minimè fiat, nec Placitum, seu Judicium, neque aliquis ad mortem, vel pœnam condemnatur, nec juramenta præstentur, nisi pro pace, vel aliâ necessitate.

Præterea in *c. Conquestus; 5. & ult. eod.* Gregorius IX. rescribit: Quamvis quæstiones, seu lites judicarias non protrahi, sed expediri magis debeat; debet tamen judicialis processus, in ijs diebus, qui in honorem DEI (& Sanctorum) sunt instituti (ab universalis Ecclesia, qui in textu enumerantur) cessare; & in ceteris festis, quæ singulis Episcopis in suis Diocæsibus, cum Clero, & populo, observandas constituerunt. Et adeo quidem his sacris ferijs à Judicijs cessandum est (nisi necessitas exigat, vel pietas suadeat) ut neque consentientibus partibus, processus judiciarius subsistat, nec sententia talibus diebus promulgata valeat. Verùm ijs feriatis diebus, qui ob necessitates hominum, gratiâ messium, vel vindemiarum, conceduntur, cum partium consensu, Judicia institui possunt.

XVIII. Pro declaratione horum capp. quædam quæstiones hic resolvendæ sunt. Hinc quaeritur primo. An, & quâ ratione prohibitum sit exercere mercatum, placitum, Judicium, vel juramentum præstare diebus festis DEO, & SS. dicatis? Resp. In primis nomine prohibiti mercatus in *c. t. h. t.* veniunt contractus emptionum, & venditionum, locationum, & venditionum, & similia, præsertim si publicè, vel publicè solemnitate fiant. Item publicæ, & solemnes nundinæ, quæ certis temporibus semel, vel bis in anno, negotiationis causâ, in loco instituuntur, sicut & illæ, quæ singulis hebdomadis certo quodâ die fiunt. *Suar. cit. lib. 2. cap. 29. n. 2. Azor cit. l. 1. cap. 27. q. 10.* Veruntamen in pluribus locis consuetudine receptum est, ut nundinæ diebus festis celebrentur, ob majorem populi commoditatem, præsertim rusticorum, & pauperum, qui non possunt diebus profectis operas suas deserere: nam cum observatio festorum

sit legis humanæ, ei per consuetudinem derogari potest. Similiter permittuntur fieri in diebus festis distractiones quarundam rerum, præsertim quæ ad victum quotidianum necessariæ sunt. *Suar. c. l. n. 3. & 4. Azor c. l.*

XIX. Secundò, licet aliàs nomine Placiti, in Jure Canonico, quælibet causa forensis, seu lis, quæ in Judicio agitur, intelligatur, juxta *c. 2. caus. 15. q. 4.* ita, ut prohiberi in die festo placitum sit idem, quod prohiberi strepitum judicalem; ut dicitur in *c. ult. h. t.* nihilominus tamen probabile est, per placitum hic significari, & prohiberi tantum omnes causas civiles, quia placitum significare solet decretum Judicis spectans ad civilem potius gubernationem, quàm ad punitionem; per Judicium verò ad mortem, vel ad pœnam, prout ibidem additur, significari, & prohiberi etiam omnes causas criminales; sive agatur criminaliter ad pœnam mortis, vel ad aliam pœnam corporalem, aut etiam pecuniariam; & in singulis omnes actus judiciales prohibitos censer; cum aliàs frustra nomen Judicij adijceretur, si eo plus non significaretur, quàm nomine placiti. *Suar. cit. cap. 29. num. 9.* Unde *Gl. in cit. cap. 1. h. t. 1. Ad mortem;* ait, *Maximè,* quia nulla causa tunc tractari debet, maximè verò sanguinis non debet.

XX. Tertiò in *cit. cap. 1.* additur juramentum: ut indicetur, non solum Judiciale juramentum ibi prohiberi (nam alioqui fuisset superflua illa distincta prohibitio juramenti, si de solo judiciali intelligeretur, quippe cum hoc jam antè in prioribus verbis Placiti, & Judicij, seu ex vi prohibitionis totius Judicij forensis, prohibitum censer debeat) sed etiam alia quædam juramenta extrajudicialia, non quidem omnia; ut sentit *Abbas ibid. in cap. 1. num. 8. & cap. ult. num. 18. h. t.* (quia alioquin omne juramentum, etsi licitum ex objecto, sine, & alijs circumstantijs, extra tempus, ex eo solum illicitum foret, & speciale peccatum, quod in die festo fiat; quod falsum est, cum nulla subsit causa prohibendi hoc modo omnia juramenta, neque oporteat odiosam legem tam latè extendere) sed ea juramenta extrajudicialia hoc loco sunt prohibita, quibus pacta, & conventiones inter aliquos publicè, & solemniter firmantur, præsertim illa, quibus contractus ibi sub nomine mercatus comprehensi confirmari solent; & ita docet *Suar. cit. lib. 2. c. 30. n. 17.* Idque præcipue colligitur ex subjecta exceptione, nisi pro pace &c. nam juramentum pacis non est judiciale, & tamen, ne sub nomine juramenti comprehensum videatur, excipitur: ac proinde signum est in *cit. cap. 1.* non prohiberi solum juramentum Judiciale: & cum juramentum pacis, quod excipitur, fieri soleat extra Judicium, & pertineat ad juramenta conventionum, & contractuum, rectè inferitur, illa esse prohibita, nisi in casibus exceptis. Quod si contractus aliquis similis, vel aliud negotium in die festo licitè exercentur, ut in inauguratione Doctorum, etiam juramento confirmari poterit: quia accessoriam sequitur suum principale. *Suar. c. l.*

Probabile tamen etiam est, quod docet *Cajetan.*

2. 2. q. 112. a. 4. §. Secundum autem prohibitorum : Sola juramenta judicialia in cit. c. 1. prohibita esse in die festo : quamvis etiam hæc non minùs, quàm alij actus judiciales, propter necessitatem, aut utilitatem permittantur in diebus festis, juxta c. ult. h. t. Et tum ad textum in cit. cap. 1. in quo majorem juramenti prohibitionem, quàm judicialis tantum, factam fuisse, significari videtur, responderi debet, non esse id usu receptum, vel postea abrogatum. Laym. l. 4. tract. 7. c. 2. in fine.

XXI. Ubi præterea notandum primò. Licet tam mercatum, quàm placitum, seu Judicium prohibentur sit exercere die festo, etiam partibus consentientibus, ob honorem DEI : illud tamè inter utrumque est discrimen, quòd mercatus, aut contractus contra prohibitionem juris factus in die festo sit validus : quia lex prohibens mercatum non illum irritat; ut patet ex c. 1. h. t. & consequenter juramentum etiam extra Judicium factum, ad confirmationem contractus, die festo est validum, ob eandem rationem : at verò acta Judicij non sunt valida, quia lex prohibens acta Judicij in die festo, illa irritat, ita, ut consentientibus etiam partibus, nec processus habitus, nec sententia teneat; ut patet ex cit. c. ult. h. t. & l. 2. in fine. C. Eodem. Suar. cit. cap. 30. num. 2.

Notandum secundò. A prædicta prohibitionem excipiuntur duo casus, in quibus diebus feriatis, etiam in honorem DEI, & Sanctorum, Judicium institui potest, super qualibet causa, tam civili, quàm criminali, temporali, & spirituali, videlicet casus necessitatis, aut pietatis. cit. c. ult. h. t. Ob necessitatem, vel etiam utilitatem publicam, aut privatam, possunt diebus festis expediri ex causæ, quæ celeritatem requirunt; veluti si actio, vel res tempore, vel morte peritura sit. l. 1. §. Sed excipiuntur, & l. Solent. 3. ff. h. t. Gl. in cit. c. ult. V. Necessitas. quia necessitas non habet legem. cap. 2. de observ. jejun. & quod aliàs prohibendum ex necessitate toleratur. l. unic. junct. Gl. V. Expedire. ff. de offic. conf. Gl. in cit. c. 2. V. Urger. ff. h. t. Item si contra latrones sit procedendum. l. pen. C. Eod. ubi hæc ratio redditur, ne differatur sceleratorum proditio consiliorum. Si causæ fiscales, & publicæ agenda sint, quæ saltem tempore messium, ac vindemiarum tractari possunt. l. Publicas; 5. junct. Gl. V. Mensibus. C. Eodem. Si atrox delictum cum publico scandalo sit commissum: nam statim judicari, & puniri potest, etiam die festo, si ad publicum exemplum ita expediat. Unde solent hæretici diebus festis judicari, & puniri, ut tantò major sit populi concursus ad aliorum terrorem. Sic etiam in parvis oppidis possunt, ac solent die festo causæ civiles agitari, si alijs diebus rusticani homines adesse, vel commodè vocari nequeant. Et universim loquendo, quodlibet periculum damni, sive temporalis, publici, aut privati, sive etiam spiritualis, est sufficiens causa, ob quam Judicium permittitur institui die festo, cum spiritualia temporalibus præferenda sint. Abb. in cit. c. ult. num. 13. & 14. Suar. cit. c. 30. num. 18. & 19. Similiter ob causam pietatis, seu misericordiam, festis diebus, expediri possunt causæ alimenteriorum, eaque decerni, item causæ carceratorum, pupillorum, viduarum, pauperum, & miserabilium per-

sonarum: item tutores, & curatores dari &c. quia in operibus misericordiam dierum distinctio non est habenda. Gl. in cit. c. ult. V. Pietas. Abb. ibid. num. 15. Suar. c. l. n. 20. Gail. l. 1. obs. 53. n. 13. Addit Suar. quòd etiam in causa Religionis, ut in causa Ecclesie, possit Judicium peragi in die festo, si adit aliqua indigentia, ratione cujus ipsi celeriter subveniendum sit: quia summa est ratio, quæ pro Religione facit. l. Sunt personæ; 43. in fine. ff. de relig. & sumpt. fun. Idem est de pietate, seu observantia erga patriam: propter solam tamen pietatem, vel misericordiam non sunt licita opera servilia in die festo, quia in cit. c. ult. est solum sermo de actibus judicialibus. Suar. c. l. in fine.

Notandum tertio. In ferijs sacris, & alijs, ob publicam causam, principaliter institutis major necessitas requiritur, ut Judicium in ijs institui possit: quàm in ferijs rusticis; prout sumitur ex l. Publicas; 5. C. h. t. ubi dicitur, publicas, & fiscales causas in ferijs messium, & vindemiarum tractari possit; non item in ferijs sacris in honorem DEI institutis; ut addit Gl. ibid. V. Mensibus, nisi necessitas, vel pietas id requirat, cum in illis minor necessitas sufficiat.

XXII. Queritur secundò. An actus jurisdictionis voluntariæ possint fieri die festo? Resp. affirmative; cujusmodi actus sunt, emancipare, & manumittere, l. Actus; 8. in fine. C. h. t. dispensare, absolvere; indulgentias, & privilegia concedere, contractus approbare, instrumenta conficere, & consignare, adoptare, pupillo tutorem designare, veniam ætatis dare, Magistratum creare, & alia similia, quæ enumerantur in l. 2. ff. h. t. Abb. in cit. c. ult. n. 12. h. t. Durand. in spec. lib. 2. part. 1. n. 7. Suar. cit. c. 30. num. 11. & alij communiter. Ratio est, quia ea, quæ sunt voluntariæ jurisdictionis, ad strepitum judiciale, seu Judicium contentiosum non pertinent; ideoque in cit. c. ult. h. t. non sunt prohibita. Limitat tamen id Abbas c. l. tales actus esse quidem validos, quia in jure non est expressum, eos esse irritos: non tamen licitè, & sine culpa, eos fieri, nisi ob specialem necessitatem fiant, vel pietatem: quia in c. 1. h. t. præcipitur, ut dies Dominici (idemque est de alijs festivis diebus) omni veneratione observentur. certum autem est, per hujusmodi actus homines abstrahi ab orationibus, & obsequijs Divinis, quamvis irritatio dicti c. ult. quippe pœnalis non debeat extendi ad casus ibi non expressos. Contrarium tamen probabiliter tenet Suar. cit. loc. quia, cum hi actus in cit. c. ult. non sint prohibiti, nec alibi specialiter, nec etiam sint opera servilia; non possunt magis esse ex se illiciti, quàm ludii, confabulationes, vel similia, quæ fiunt die festo: nec finis præcepti cadit sub præceptum. Sed neque sententiam excommunicationis ferre, aut aliam censuram infringere est prohibitum die festo; ut docet Abbas in cit. c. ult. num. 16. & 17. Tusch. c. l. n. 4. Aror. p. 2. l. 1. c. 23. q. 13. Suar. c. l. n. 10. Laym. cit. l. 4. tr. 7. c. 2. in fine. quia ferre censuram contra contumacem, non tam est procedere, & judicare, quàm veluti legem ferre, aut præceptum imponere, præsertim cum excommunicatio sit pœna medicinalis, & ad bonam animam ordinetur. Nec obstat, quòd lex civilis generaliter dicat in l. ult. C. h. t. Ut omnis vox Judi-

Judicium sileat in die festo; quia intelligendum est de voce, quæ pertinet ad strepitum Judicij, & verba Canonum in hac re magis attendi debent, quàm Legum. Quòd si tamen, vocatis partibus, causæ cognitio requiratur, & Judicis declaratione opus sit, num aliquis in excommunicationem incidit, non potest id fieri die festo, nisi ob urgentem causam necessitatis, Pietatis, vel Religionis. Et hinc multò magis licet absolvere ab excommunicatione die festo, quia est spirituale bonum, & per eam succurritur periculo animæ. *Suar. c. l. & Laym.* Denique omnes actus extrajudiciales, ob eandem causam, prohibiti non sunt in die festo: quia in *cit. c. ult.* solum prohibetur strepitus judicialis, sive, ne formetur processus, nec feratur sententia die festo. *Suar. c. l. num. 12.* Unde licet potest Advocatus informare Judicem de facto die festo, cum sit actus extrajudicialis. *Suar. c. l. num. 16.*

XXIII. Quæritur tertio. An coram arbitro Judicium agitari possit die festo? Resp. Coram arbitro vero, sive à Judice petitus sit, sive à partibus sponte electus, non potest institui Judicium die festo; ut expressè habetur in *l. Omnes; 7. C. h. t.* quia ille procedere debet ad instar Judicis, servato ordine judiciali. Arbitrator verò, qui non est Judex, sed gerit se, ut amicabilem compositor, conciliando pacem inter partes, omni die arbitrium dicere potest; fœdera enim, & similia pacta non sunt prohibita die festo. *Abb. c. l. n. 10. Suar. c. l. n. 16.*

XXIV. Quæritur quarto. Quia sæpe accidit, ut propter diversitatem locorum ferix discrepent, an in ferijs observandis attendendus sit locus Judicis, an actoris, an Rei, an omnium? Resp. Quòd attendi debet locus Judicis: quia, quando agitur de ordinatione Judicij, seu processus, non consuetudo loci litigantium, sed consuetudo fori, seu loci, in quo exercetur Judicium, & causa tractatur, attendi solet; ut ex communi consensu DD. tradit *Abb. in cit. c. ult. n. 23. Durand. in spec. tit. de ferijs. §. 1. num. ult. Azor cit. c. 22. q. 17.* Alioqui enim fieri possit, ut actor, vel reus haberet duplicatas ferias, videlicet loci Judicis, & Regionis suæ, & sic nimia fieret Judiciorum prorogatio, seu dilatio.

XXV. Quæritur quinto. An, & quibus ferijs renunciari possit, vel non possit? Resp. Ferijs sacris, quæ in honorem Dei, & Sanctorum institutæ sunt, partes litigantes renunciare non possunt; ut constat ex *c. ult. ibi: Consentientibus etiam partibus. h. t.* sicut nec ferijs repentinis, seu extraordinarijs, quæ ob publicam causam, aut favorem principaliter instituantur, v. g. in honorem Principis, quia pactis privatorum ea, quæ publici juris sunt, tolli non possunt. *l. Ius publicum; 38. ff. de pact.* At verò ferijs rusticis, videlicet messium, & vindemiarum, partes renunciare possunt; sive consentire, ut Judicium institueretur his ferijs, quippe quæ principaliter in gratiam, & favorem earum introductæ sunt. *cit. c. ult. in fine. & ibi Gl. V. Quibus. Abb. ibid. n. 9. & 11. Durand. in spec. tit. de ferijs. §. ult. in princ. Azor cit. c. 22. q. 18.* adeò, ut renunciatione facta, partes non possint penitere, vel illam revocare, nisi causa de novo superveniat, quæ non erat tempore renunciationis. *Abb. c. l. n. 12.* Et quidem non tantum in Judicio, sed etiam extra illud possunt partes prædictis fe-

rijs renunciare, v. g. in instrumento contractus, vel etiam tacite, si partes scienter recipiant terminum assignatum ipsis præsentibus, à Judice sedente pro tribunali, v. g. diem feriatum; tunc enim censentur renunciâsse exceptioni feriarum. *Gl. margin. in cit. c. ult. lit. b. Durand. cit. §. ult. n. 1. & 3.*

Quare in *l. 1. in princ. ff. h. t.* non absolute prohibentur agitari judicia, tempore messium, aut vindemiarum; sed, ne quis adversarium cogat ad Judicium venire: alioquin acta judicialia citra voluntatem partium facta irrita erunt. *l. Si feriatis; 6. ff. eod.* nisi necessitas cogat, ut quia res tempore, aut morte peritura sit; aut dilatio actionem, vel litis instantiam peremptura sit. *cit. l. 1. §. Sed excipiuntur. & l. Solut; 3. ff. Eod.* Quòd si appareat, adversarium, nullâ rationabili causâ impeditum, sed solum ad litem extendendam, consentire nolle, ut in ferijs messium, aut vindemiarum Judicium exerceatur; tum, si necessitas, præsertim publica, id postulare videatur, aut periculum in mora sit, cogi potest ad respondendum; pro ut sumitur ex *c. ult. & ibi Gl. V. Propter vindemias supra de judic.*

Porrò, tamen partes renunciant his ferijs rusticis, non tamen Judex tenetur illis Jus dicere tali tempore, extra causam urgentis necessitatis; cum hæc ferix etiam in gratiam Judicis institutæ sint: imò neque testes cogi possunt ad veniendum, & testimonium ferendum in his ferijs. *Gl. fin. in l. Omnes; 7. C. h. t. Abb. in cit. c. ult. n. 12. Durand. c. l. n. 2.* quia non possunt partes alijs præjudicare; res enim inter alios acta, videlicet litigantes, alijs, puta Judici, vel testibus, non præjudicat. *Arg. l. Id, quod nostrum; 11. ff. de R. I.*

XXVI. Quæritur sexto. An ferix rusticæ messis, ac vindemix ubique locorum concedendæ sint, etiam, ubi non feritur frumentum, vel crescit vinum; & an omnibus indigenis? Resp. Primò. Si in aliqua Regione non crescat vinum, nec colantur vineæ, nec peregre apportatum communiter bibi solet, ut in Hibernia, non sunt concedendæ ferix vindemiarum: aliàs verò concedi debent, ut certo anni tempore de vino sibi aliunde providere possint. Idemque dicendum de ferijs messium, si in aliqua Regione non feratur frumentum, sed aliunde advehendum sit. *Innocent. in c. ult. in fine. h. t. & Abb. ibid. n. 24.*

Resp. Secundò. Hæc ferix messis, & vindemix conceduntur, non solum rusticis, seu agricolis, & vinitoribus, sed etiam alijs civibus, Clericis, militibus, & alijs: quia, licet ipsi per se non dent operam colligendo frumento, & vino; faciunt tamen id per alios colonos, & operas: & licet personæ principales per se non occupentur actibus, seu negotijs forensibus; faciunt tamen id per alios, nempe Advocatos, & Procuratores, quos tali tempore commodè habere non possent, si ferix illis non concederentur. *Durand. l. c. §. 1. n. 8. Abb. in cit. c. ult. n. 25.* Porrò, quòd etiam ferix seminationis servari debeant, sicut ferix messium, tradit *Gl. in l. 1. C. de agric. & censit. l. 11. V. Frugibus.* quòd eo nomine etiam tempus sationis comprehendatur:

* *

§. IV.

*Quinam actus Iudiciales in specie
sunt prohibiti, in diebus Fests,
vel permisi?*

XXVII. Assertio 1. Cum strepitus, seu processus judicialis (qui die festo nec licite, nec valide fieri potest, juxta *c. ult. h. t.*) consistat in inchoatione Judicij, & formatione processus, seu causæ cognitione, ac denique in sententia prolatione, in primis libellus Judicij die festo offerri potest; ut docet *Bart. in l. Miles; §. 11. §. Sexaginta dies. ff. ad leg. Int. de adult.* ubi addit, id esse verum in qualibet causa, etiam civili, *Durand. in spec. l. 2. part. 1. tit. de ser. §. Sequitur n. 2. Tusch. V. Feriæ; concl. 100. n. 10.* quia libelli oblatio non est actus judicialis, cum præcedat citationem, à qua incipit Judicium. Ob quam causam etiam inquisitio, quam Judex ex officio facit, antequam reum suspectum citet, aut capiat, vel incarceret, die festo institui potest, *Tusch. c. l. Quod autem dictum est, libelli oblationem fieri posse die feriato, id intelligi debet, quòd libellus dari potest Judicij, non autem parti, ita, ut ab illa aliquid dari petatur, quia talis petitio esset actus judicialis; ut notat Glossator in *Bart. c. l. lit. B.**

XXVIII. Assertio 2. Citatio tres actus involvit. Primò mandatum, seu commissionem Judicis de citando. Secundò executionem citationis. Tertio processum, qui fit, & inchoatur vi citationis factæ. Et de hoc tertio omnes DD. conveniunt, quòd non possit fieri die feriato; quia est verè, ac propriè actus judicialis. Quoad primum verò actum, nempe mandatum Judicis de citando, non potest ab eo illud decerni die feriato, nec quidem ad diem non feriatum; ut ex communi docet *Abb. in cit. c. ult. n. 20. h. t. Suar. cit. c. 30. n. 4.* Ratio est, quia decretum citationis non est actus extrajudicialis, sed judicialis, cum sit fundamentum processus judicialis, & ad illud prærequiratur aliqua causæ cognitio à Judice faciendæ, non quidem inter partes, ut pro tribunali sedere debeat ad citationem decernendam, sed apud se, seu intra se, statuendo terminum, quo citatus comparere debeat, idèòque prohibetur die festo, non solum ratione effectus, sed etiam ratione principij, & originis; ut colligitur ex *l. ult. C. hoc tit.* ubi dicitur: *Sit ille dies à cognitionibus alienus, præconis horrida vox siliscat, & consequenter etiam vox, seu præceptum, quòd ab illa causæ cognitione emanat: nam quandoque prohibetur actus respectu effectus, & tunc sufficit, quòd actus referatur ad tempus, quo licitè fieri potest. Exemplum habetur in *c. de uxore; 7. infr. de sepult.* ubi habetur, quòd mulier nupta potest eligere sepulturam; quia eligit illam pro eo tempore, quo jam soluta est à lege viri, nempe post mortem suam; quandoque verò prohibetur, non solum effectus, sed etiam ipse actus per se; & tunc non sufficit, quòd effectus referatur ad tempus concessum, in quo licitè fieri potest, sed ipse actus est invalidus, quia factus tempore prohibito: sicut in proposito, si mandatum de citando fiat die festo, ut citatus se sistat in Judicio die non festo, citatio non valet: quia, licet*

effectus citationis, nempe comparitio in Judicio fiat die non feriato, adèòque tempore licito; tamen citatio non valet; quia ipsa per se est jure prohibita, ne fiat die festo: adèòque initium est vitiosum, quòd spectandum est in actibus judicialibus. *l. 3. §. Scio. ff. de minorib.* Cum ergo principium vitiosum sit, nullo tempore effectus validus ex eo subsequi potest. *Reg. 29. in ff. & reg. pen. eod.* Contrarium tamen, quòd tale mandatum de citando fieri possit die feriato, etiam sacro, tenet *Jo. Andr. in cit. c. ult. n. 3. h. t. & Gail l. 1. obs. 53. n. 5.* quos sequitur *Fagnan. in cit. c. ult. n. 49. & seqq. h. t.* Eò quòd non requirat causæ cognitionem judicalem; adèòque non sit actus judicialis, sed extrajudicialis, neque per se actus contentiosæ, sed voluntariæ potiùs jurisdictionis: nisi emanet mandatum citationis à Judice pro tribunali sedente, & judicialiter procedente; tum enim erit actus judicialis, nec die feriato fieri poterit, juxta *l. A. procedente; 4. C. de dilat.* Idque confirmatur: quia, sicut prohibitum est exercere jurisdictionem tempore inhabili, scilicet die feriato; ita etiam prohibitum est loco inhabili, id est, extra proprium territorium exercere jurisdictionem suam, *l. fin. ff. de Jurisd. c. 2. de constit. in 6.* Atqui potest quis existens in territorio alieno, extra proprium, delegare totam jurisdictionem suam, sive ad universitatem causarum alteri exercendam in proprio territorio, vel totam aliquam causam cognoscendam committere; ut patet ex alibi dictis: & consequenter etiam potest tempore feriato talem commissionem facere, sive totam causam alicui delegare die festo: ergo similiter potest die festo committere alicui actum citationis: si enim potest totam causam die feriato committere, potest etiam partem, sive unum articulum causæ; ut in proposito actum citationis: quia quòd juris est de toto, est etiam de parte, *l. Que de tota; 76. ff. de rei vindic.*

Verum hoc argumentum non est efficax, nec intentum probat: quia aliud est, delegare alicui totam causam, & consequenter etiam potestatem citandi, & alia agendi, quæ ad causam expediendam pertinent; quòd fieri potest extra territorium proprium, & die feriato etiam sacro: quia delegare non est actus judicialis, nec jurisdictionis contentiosæ, ut omnes concedunt: aliud est actu citare; ad actualem verò citationem necessariò requiritur mandatum Judicis de citando, in quo principaliter consistit citatio, & quæ fit per nuncium, à quo omnem vim habet executio citationis, quæ secundum multos DD. non est actus judicialis, de quo mox dicitur: ergo, cum citatio sit actus judicialis, etiam mandatum de citando talis erit, sine quo non valet actualis; & consequenter nec extra territorium proprium, nec in die festo fieri potest.

XXIX. Jam verò ad secundum actum, quòd attinet, videlicet executionem citationis, per quam mandatum citatorium offertur, & intimatur citando, ut compareat ad certum diem, ea non est actus judicialis; idèòque die festo validè, & licitè fieri potest: quia non fit per Judicem, sed per nuncium, vel per litteras, nullamque causæ cognitionem requirit, sicut mandatum de citando, sed nudum factum, seu ministerium continet; ob quam causam etiam extra territorium citantis fieri potest; quamvis contrarium teneat *Abb. c. l. n. 20. Suar. cit. c. 30. n. 5. Fagnan. in cit. c.*

cit. c. ult. n. 53. quòd talis actus executionis mandati citatorii, seu intimationis die festo fieri non possit, quia turbat citatum, & abstrahit à devotione. sed hinc non sequitur, quòd sit actus Judicialis, adeòque prohibitus, in c. ult. h. t.

XXX. Sed jam hinc ulterius queritur, an citatio fieri possit in die non feriatà ad diem feriatam? Respondent communiter DD. distinguendum esse: vel citatio facta est expressè ad diem festum, v. g. ut die Dominico, vel in festo Assumptionis B. V. compareat in Judicio, horà octavà matutinà; & tunc irrita est citatio, ita, ut nec proximo die non feriato obligetur citatus comparere: quia, cum sit facta contra leges, & jura, est omnino irrita, nullumque potest operari effectum, sed opus est novà citatione. Vel citatio facta est, sine expressione diei festi, ad certum diem mensis, vel hebdomadæ, ut citatus compareat, v. g. ad diem XV. Junii, in quem eo anno diem Dominicum, vel aliud festum v. g. Corporis Christi, incidere contingit: tum valet citatio: quia proximo die non feriato se sistere in judicio debet: nam censetur Judex tantàm velle, ut citatus usque ad terminum, seu finem illius diei adsit, ut altero die manè respondere in Judicio possit, Arg. c. Dilecti; 7. de dolo, & conium. Abb. in c. ult. n. 21. & 22. h. t. & Arg. cit. c. 27. q. 16. Gail cit. obs. 53. n. 2. cujus rationem hanc communiter assignant: quia tum censetur esse duo præcepta, unum, ut citatus veniat ad Judicium; alterum, ut ad certum diem constitutum se sistat: & quia hoc posterius servare non potest, cum sit dies feriatà, debet prius servare, & venire ad Judicium, sed die proximè sequente.

Quòd si in citatione assignetur terminus, intra quem citatus compareat, v. g. intra 10. dies, & ultima dies sit feriatà, vel usque ad diem Dominicam, vel festum S. Andrea; tunc dies Dominicus, vel festus, non ponitur inclusivè pro termino, sed exclusivè, ut compareat citra, vel intra illum, Abb. c. l. n. 21. Si verò quis citetur, ut intra dies 8. compareat, licet intra eos occurrant festa, debet comparere intra præfixum terminum, sive ultimus dies sit feriatus, sive non; quia potuit prævenire terminum, & intra illos dies mandatum implere, Zoes. ff. h. t. n. 4.

Alii contra indistinctè dicunt, sive expressum sit in citatione, ut citatus compareat in Judicio die Dominico, vel festo, sive non, quòd debeat citatus se sistere in Judicio, non in die feriato, in quem terminus citationis incidit, sed in die sequente; quia utroque casu duo mandata continentur, & cum unum impleri nequeat, saltem alterum servari debet, Innocent. in c. ult. n. 1. h. t. Durand. in spec. tit. de citat. n. 13.

Verùm, quando quis expressè citatur ad diem feriatum, v. g. Dominicum, vel alium festum diem, tunc citatio est temeraria, & contra jus; adeòque non potest afficere citatum, nec illum obligare ad comparandum, quia quæ contra jus fiunt pro infectis haberi debent, reg. 64. in 6. Nec obstat ratio in contrarium allata; quia illa procedit, quando mandatum tenuit à principio; tunc enim per superveniens impedimentum non omnino tollitur, sed suspenditur: at in proposito casu, quando alicui expressè mandatum est, ut veniat ad diem festum, tale mandatum ab initio fuit nullum; adeòque non obligat, Abb. c. l. n. 22. Huc facit, quod alibi traditur, sen-

Tomeus II.

tentiam, quæ continet expressum juris errorem, esse nullam: eam verò, quæ licet sit contra jus, sed sine expresso juris errore, valere, Zoes. c. l.

Porro ad cautelam solent Judices definire diem, ut v. g. citatus ad diem XXX. numerandum à die intimatæ citationis compareat in Judicio, adjunctà hæc clausulâ, ut, si illa dies feriatà sit, die non feriatà proximè sequente comparere debeat: quia, cum terminus in citatione præfixus demum currere incipiat à die, in quo citatio præsentata fuit citato, Judex illud tempus scire non potest, ob locorum distantiam, & nunciorum in exequendo tarditatem, Gail c. l. n. 2. & 3. Illud hinc addendum, quòd in iis causis, quæ diebus feriatis expediri possunt, valeat citatio ad diem feriatam, Marant. de ord. Jud. p. 6. tit. de cit. n. 121.

XXXI. Assertio 3. Probabile est, quòd in die festo testes examinari, eorumque depositiones recipi licitè, & validè possint, modò antea, videlicet die præcedente non feriato, juramentum præstiterint: quod in cit. c. 1. h. t. generaliter, & in qualibet causa, sive temporalis, sive spirituali, prohibetur exigi in die festo; cum verba textus generalia sint, & solum duplex exceptio ibi ponatur, videlicet nisi pro pace, vel alia necessitate, quæ non minùs habet locum in temporalibus, quàm in spiritualibus, ut docet Durand. in spec. tit. de ferijs §. 2. n. 6. & Arg. cit. c. 27. q. 14. Abb. in cit. c. 1. n. 9. & alii plerique Canonistæ. Ratio est: tum quia examinatio, & depositio testium non videtur esse actus Judicialis, sed extrajudicialis; cum per quemlibet à Judice deputatum, qui Judex non sit, sed quasi merus executor, & in loco privato, seu non publici Judicii, fieri possit: tum quia hoc casu examen, & testium receptio facta die festo, fictione juris, retrotrahitur ad diem non feriatam præcedentem, in qua eis delatum est juramentum, Quòd autem Abb. c. l. addit, testes licitè non posse examinari, & testimonia eorum recipi die festo, quamvis validè, id bene refellit, Suar. cit. c. 30. n. 6. quia si actus ille est prohibitus in die festo, tanquam Judicialis, & pertinet ad strepitum Judicii, non tantùm illicitus, sed etiam invalidus est; juxta c. ult. h. t. cum alioquin ex se prohibitus non sit; non enim est opus servile: quòd verò distrahat à Divinis, non satis est ad peccatum: quia finis præcepti non cadit sub præceptum, alioquin legere in die festo profanas historias esset speciale peccatum.

XXXII. Porro, etsi prædicta sententia sit probabilis, & practicè tuta; nihilominus tamen opposita sententia, spectatò Jure communi, probabilior est, quam tenet Suar. c. l. n. 7. nam testes non possunt in die festo cogi ad respondendum, seu testimonium dicendum: ut colligitur ex l. ult. C. h. t. ibi: nulla quemquam urgeat admonitio, & fatetur ipse Abb. c. l. n. 10. sive sint ferie introductæ in honorem Dei, sive in favorem hominum: ergo non Juridicè testes interrogantur à Judice, sive Judex jus interrogandi tali die non habet: alioquin si Juridicè interrogentur, actus Judicialis est, quòd adversarii negant: adeòque nec depositiones testium in die festo validæ erunt. retrotractio verò illa examinis, ac depositionis testium, quæ revera fit in die festo, ad præcedentem diem non feriatam, videtur omnino ficta, nec in jure fundata: quia potius per illum actum confirmatur

tur, & quasi repetitur juramentum testium pridie præstitum: ideoque talis fictio non est admitenda, præsertim, cum multum derogat observationi festi. Quamvis autem examinatio, ac depositio testium ante juratorum, non sit actus Judicialis, strictè loquendo, cum causæ cognitionem non requirat; est tamen latè loquendo; tum quia fundatur in jurisdictione Judicis, cum non, nisi à Judiciali potestate procedere debeat; tum quia plurimum infervit ad Judicium processum, & sententiam, qui omnino irritatur in *cit. c. ult. h. r. Suar. c. l.*

Excipitur tamen, nisi periculum sit in mora; quia testes postea examinari non poterunt; vel ob periculum mortis, in quo constituti sunt, v. g. tempore pestis, vel quia aliàs valetudinarii sunt, aut senes; tum enim in die festo examinari poterunt, etiam exacto juramento, *Durand. cit. §. 2, n. 6.*

XXXIII. Assertio 4. Tametsi aliqui putent, executionem sententiæ Judicialis in die festo saltem validè fieri posse; ut docet *Abb. in c. ult. n. 13, h. r. & alii apud Tusch. V. Ferie; concl. 100. n. 6.* quia non est actus Judicialis, neque requirit causæ cognitionem; verius tamen est, non solum prolationem sententiæ esse prohibitam, & nullam in die festo; sed etiam ejus executionem; ut docet *Suar. cit. c. 30, n. 12.* idque expressum habetur in *l. ult. C. h. r. ibi, ut à cunctis executionibus excusetur:* ac proinde merito sub strepitu Judicii comprehendi videtur, præsertim, quia in illa partes, ac populus magis perturbari solent, & magis distrahi, quam in sententiæ prolatione.

Sed neque reus capi, aut incarcerari potest die festo, sive pro civili debito, sive pro crimine, *l. ult. C. h. r. & ex communi tradit Farinac. in praxi lib. 1. q. 27. n. 106.* ubi addit, id procedere, non solum in

feriis sacris, sed etiam in utilitatem hominum inductis. Excipitur, nisi sit periculum in mora, & quia debitor de fuga suspectus est, vel si quis reus sit criminis gravis, aut enormis: tum enim indifferenter etiam die festo capi, & incarcerari potest; quia publicè interest delicta puniri, *Farinac. l. c. n. 107. & 109.* Imò latrones die festo tormentis subijci posse dicitur in *l. pen. C. h. r. ubi Gl. in not.* ait, facinorosos, & valde noxios reipubl. ultimo supplicio affici posse, etiam diebus Dominicis, & quibuscunque festivis. Verùm hoc de Jure Canonico non est permittum, sed potius prohibitum in *cap. primo hoc t. ubi* habetur, ne quis diebus festis ad pœnam, vel mortem judicetur, aut condemnetur: & excipitur solum casus necessitatis, aut pietatis: ergo extra hos casus, id non est permittum: sed tortura, vel supplicium mortis differri debet in alium diem, si commodè possit: & cum hic agatur de observatione festorum Licrorum, qui in honorem DEI sunt instituti, magis sequi oportet Jus Canonicum, quam civile.

XXXIV. Assertio 5. Appellare die festo licitum est, non tamen appellationem prosequi; ut tradit *Gl. in c. ult. V. Quibus utique; h. r. & ibid. Abb. n. 13. Tusch. c. l. n. 10.* & idem de repentinis etiam feriis statuitur in *l. 1. C. h. r. ubi* additur, quod propter istas ferias fatalia non prorogentur, sed continuo currant. Ratio assertionis est, quia provocatio non est actus Judicialis, sed potius per illam receditur à Judicio, & cum pertineat ad naturalem defensionem, adeoque sit juris naturalis, & res favorabilis, & sine magno strepitu fieri possit; ideo

permittitur die festo: quamvis *Suar. cit. c. 30. n. 14.* dicat, consultum esse, ut in die profesto fiat, si id commodè possit.

TITVLVS X.

DE ORDINE COGNITIONUM.

Quia post litem contestatam, præstitum juramentum calumniæ, & datas dilationes ad respondendum, sæpe reus vicissim quæstionem aliquam proponere, seu movere solet, sive per modum actionis, sive, & quidem frequentius, per modum exceptionis: ideo dubitari potest, quo ordine, & an priùs de hujusmodi quæstionibus incidentibus cognoscendum sit, quam in principali causa procedatur? Differt autem hic Titulus à Titulo IV. suprà de mutuis petitionibus: quia ibi principaliter tractatur, an reus conventus ab actore possit vicissim eundem reconvenire, & coram quo Judice: hinc verò generaliter quæritur, quando duæ, vel plures causæ, seu quæstiones in idem Judicium veniunt, vel deducuntur, de qua priùs cognoscendum sit? ut notat *Abb. ad rubr. h. t.* Itaque per ordinem cognitionum hinc significatur modus, & ordo observandus à Judice in examine plurium quæstionum, quæ concurrunt in eodem Judicio, inter easdem personas, *Bart. hinc in princ.*

§. I. De